Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25882
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Ca. xii.

timebunt .i. superior pars anime quia omnes
naturaliter timebunt mortem et timent
appropinquantem etiam secundum partem anime
superiorem corpori compacientem Et for-
midabunt in via quia timent exire de
via presentis vite Florebit amigdalus
.i. caput canescet Inpinguabitur lo-
custa .i. venter intumescet humo-
ribus indigestis Et dissipabitur cap-
paris que sic nominatur eo quod capparis est
herba qua luxuria excitatur Est igitur
sensus dissipabitur capparis .i. concupiscentia
carnis quoniam ibit homo per mortem in domum
eternitatis sue quia inde numquam revertetur
ad vitam presentem Et circuibunt in
platea plangentes hominem iam de-
functum Antequam etc. reasumatur memento
creatoris tui Antequam rumpatur fu-
nis argenteus .i. armonia qua ele-
menta colligantur in corpore vivente
que rumpitur in morte Et recurrat
vitta aurea .i. futura vita que secundum
veritatem melior est iustis quam vita pre-
sens sicut aurum melius est argento
et conteratur ydria super fontem fons
dicitur hic cor a quo procedunt spiritus vi-
tales sicut aque vide ex fonte ydria
cum qua hauritur aqua de fonte dicitur
hic compago ceterorum membrorum re-
cipiens vitam a fonte .i. a corde que
conteritur super fontem quia moritur cum cor-
de et rota super cisternam Rota dicitur
hic caput quia appropinquat ad figu-
ram rotundam Cisterna vero dicitur ip-
sum cor eo quod inde accipitur vita ut pre-
dictum est et sic rota confringitur super
cisternam quoniam omnes sensus qui vigent

in capite deficiunt totaliter corde mori-
ente et revertatur pulvis in terram etc. .i.
corpus humanum quod pro maiori par-
te factum est de elemento terre et spiritus
redeat ad dominum secundum meritum eius et
demeritum iudicandus per ipsum vanitas
vanitatum etc. Exponatur ut supra capitulo
i. Cumque esset hic ponitur bre-
vis recapitulatio de libris Salomonis
cum dicitur Cumque esset sapientissimus
Ecclesiastes .i. Salomon cuius sapientia
precedebat sapientiam omnium illius temporis
ut habetur .3. Reg. 4 Docuit populum ver-
bo et scripto et enarravit que fecerat
ut 2° capitulo et in pluribus aliis locis
Et investigans sapientiam composuit
parabolas multas scilicet tria milia ut
habetur .3. Reg. 4 Quesivit verba uti-
lia ad bonum regimen populi et conscrip-
sit sermones rectissimos quia nulla est
in eis discorsio a veritate ac veritate
plenos quia cum veritate litterali continent
veritates misticas Verba sapientium quasi
stimuli ad excitandum pigros in opere
virtutis et quasi clavi in altum de-
fixi .i. in profundum sicut dicitur Iohannis
4 Puteus altus est in profundum
et ideo sicut clavi in profundum lig-
ni defixi sunt quasi immobiles
Sic verba prophetarum non possunt a veri-
te removeri Que per magistrorum consilium
.i. sapientium data a pastore uno scilicet
ipsi deo qui omnia regit et pascit
Magistri vero isti possunt dici tres
persone in divinis vel angeli quibus
revelantur primo divina secreta et
sunt executores divine voluntatis